



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 117. Ludovici XII. amicitia a Ferdinando expetita

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

**Sæcul. XVI.** **A. C. 1506.** **Henrici VII. indoles ; unde suspicabatur, ne Anglus, si Carolus ejus filiam sibi copularet, Castellæ administrationem, cum hæc per Patris sui obitum illi obtigisset, Genero suo deferri contenderet; angebat insuper Ferdinandi animum cura profus singularis; is enim timebat, ne Henricus, cum jam dudum pectoris doloribus opprimeretur, auram Anglicam fugiens, magis calidam respirandi desiderio incensus, Castellam redire cogitaret, atque hac opportunitate usus, Castellæ regimen ambiret. Nihilominus cunctis hisce Ferdinandi cavillationibus nihil proficientibus, nuptiæ suam fortitæ sunt effectum.**

## §. CXVII.

*Ludovici XII. amicitia a Ferdinando expetita.*

**I**nterim Ferdinandus, ut Castellæ administrationem sibi ab Ordinibus delatam magis certam redderet, e re sua fore existimabat, si cum Ludovico Galliarum Rege foedus iniret, summumque Pontificem sibi devinciret. Ceterum Ludovicus, cum constanter Julii Pontificis amicitiam foveret, eidem Perusii, ac Bononiæ possessionem denuo asserere meditabatur; quocirca Calvimontio negotium dedit, ut copias suas Pontificiis jungeret. Eo tempore Bononiæ Bentivolus, Per-

*Marian. l. 29  
n. 1. & 2.*



Perusii autem Balionus imperabat, ex Sæcul. XVI.  
 quibus priorem Julius sub Pontificatu A.C. 1506.  
 Sixti IV. in paucis carum habuit, hoc  
 tamen affectu, regnante Alexandro VI.,  
 in odium verso, Bentivolius etiam palam  
 Julio Pontifici adversabatur; cum enim  
 summa rerum potiretur, Gibellinorum  
 factioni adhæsit, Julius vero toto vitæ  
 suæ tempore Guelfis favebat; Ludovi-  
 cus in Bentivolium, & Ballonum æque  
 gravibus de causis odio exarserat, ac i-  
 pse Pontifex, qui obsequia sibi a Rege  
 præstita adeo grata habuit, ut Calvimon-  
 tio in præmium laboris octo, duodecim  
 vero Ducatorum millia copiis ejus distri-  
 buenda elargiretur: Cardinali autem de  
 Ambasia, cujus opera Ludovicus suppet-  
 tias Pontifici tulerat, dignitatem Legati  
 in Francia confirmaret, simulque promit-  
 teret, se duos illius Nepotes, quorum  
 alter erat Albiensis Episcopus, Purpura-  
 torum collegio adscripturum, præterea  
 Pontifex edito diplomate ad Ducatus  
 Mediolanensis beneficia nominandi jus  
 in Regem transtulit. Rege igitur tot fa-  
 voribus sibi conciliato, Julius de prospe-  
 ro consilii sui successu certus, copias, quas  
 ipsemet duxit, conscripsit.